

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Level One Medieval Latin Examination*

**17 April 2017**

\*\*\*\*\*  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
\*\*\*\*\*

**1. Alexander and the basilisk (*Gesta Romanorum*)**

Alexander regnavit, qui dominium totius mundi obtinuit. Accidit semel quod grandem exercitum collegit et quandam civitatem circumdedit, et in eodem loco plures milites et alios sine vulnere amisit. Cum vero de hoc multum miraretur, philosophos vocavit et ait eis: ‘O magistri, quomodo poterit hoc esse, quod subito sine vulnere milites mei moriuntur?’ At illi dixerunt: ‘Mirum non est; est enim quidam basiliscus super murum civitatis, cuius aspectu milites inficiuntur et moriuntur.’ Ait Alexander: ‘Quale remedium est contra basiliscum?’ Cui dixerunt: ‘Ponatur speculum elevatum inter exercitum et murum, ubi est basiliscus, et cum in speculum respexerit, reflexus eius intuitu ad se ipsum redit et sic morietur.’ Et factum est. Carissimi, in hunc modum summum remedium elacionis est consideracio proprie fragilitatis et infirmitatis. Considerare ergo debet unusquisque propriam vanitatem tamquam in speculo et recurrere ad propriam fragilitatem, defectum suum prospiciens et sic elacionem repellat.

**2. St Colmoe as a boy**

Quadam uero die, lectione memorie firmiter commendata, abbatem quid facere debuisset interrogavit. Cui ille respondit, ‘Petram hanc magnam, que in claustrali uia quasi rupes eminet, que offendit fratres ad Matutinas euntes, comminuet’. Puer itaque sanctus, tamquam obediens discipulus, non quod precipitur opus quasi inexplicabile attendens, sed a quo precipitur puerili corde commemorans, signo crucis preuio facto, saxeam hanc molem, quam prius artificum instrumenta ualida frangere nequuerant, leuibus puerilibus ictibus in minutissimis cito confregit lapillis. Confracta itaque petra, puer sanctus eundem suum patrem quid ageret interrogavit. Cui ille, ‘An quod tibi dictum est perfecisti?’ ‘Deus’, inquit puer, ‘perfecit’. Codanus dixit, ‘In uicinum mare illius fragmenta proiice’. Quod puer sanctus angelis cooperantibus impleuit: cuncta illius petre fragmenta in unum collecta in lapidem magnum, diuino nutu, in mari eriguntur; et usque in hodiernum diem in huius insignis operationis testimonium ‘Petra Colmoci’ uocatur.

### 3. Luther writes to Albert of Mainz

Circumferuntur indulgentiae papales sub tuo praeclarissimo titulo ad fabricam S. Petri, in quibus non adeo accuso praedicatorum exclamationes, quas non audivi, sed doleo falsissimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas vulgo undique iactant, videlicet, quod credunt infelices animae, si literas indulgentiarum redemerint, quod securi sint de salute sua: item, quod animae de purgatorio statim evolent, ubi contributionem in cistam coniecerint: deinde, tantas esse has gratias ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiam (ut aiunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin posset solvi; item, quod homo per istas indulgentias liber sit ab omni poena et culpa.

O Deus optime, sic erudiuntur animae tuis curis, optime Pater, commissae ad mortem, et fit atque crescit durissima ratio tibi reddenda super omnibus istis. Idcirco tacere super haec amplius non potui. Non enim fit homo per ullum munus episcopi securus de salute, cum nec per gratiam Dei infusam fiat securus, sed semper *in timore et tremore* iubet nos operari salutem nostram Apostolus: *et iustus vix salvabitur.*

### 4. Caedmon, poet of Whitby (Bede, *Ecclesiastical History*)

In huius monasterio abatissae fuit frater quidam divina gratia specialiter insignis, quia carmina religioni et pietati apta facere solebat; ita ut, quicquid ex divinis litteris per interpretes disceret, hoc ipse post pusillum verbis poeticis maxima suavitate et conpunctione compositis, in sua, id est Anglorum, lingua proferret. Cuius carminibus multorum saepe animi ad contemptum saeculi, et appetitum sunt vitae caelestis accensi. Et quidem et alii post illum in gente Anglorum religiosa poemata facere temtabant; sed nullus eum aequiparare potuit. Namque ipse non ab hominibus, neque per hominem institutus, canendi artem didicit, sed divinitus adiutus gratis canendi donum accepit. Unde nil umquam frivoli et supervacui poematis facere potuit, sed ea tantummodo, quae ad religionem pertinent, religiosam eius linguam decebant. Siquidem in habitu saeculari usque ad tempora profectoris aetatis constitutus, nil carminum aliquando didicerat. Unde nonnumquam in convivio, cum esset laetitiae causa decretum, ut omnes per ordinem cantare deberent, ille, ubi adpropinquare sibi citharam cernebat, surgebat a media caena, et egressus ad suam domum repedabat.